
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASCITE ABDOMINALI.

8

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ASCITE ABDOMINALI;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
Pro GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subijcit
RANDAL JACOBUS SLACKE,
HIBERNUS,
SOCIET. HIBERN. MED. SOC. EXTRAORD.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor. Hor.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT MURRAY ET COCHRANE.

M,DCC,XCIV.

DISSERTATIO MEDICA
IN AVO UNKALIA
DE
VIRG INTORRINO
ASCITE ABDOMINALI
THOMAS TENISON
ANNUNTIAE ET M.D. CLM. M.
ET CANTONIA YAVON
D. GEORGE BARRIS & S. T. P.

Hydropic wretches by degrees decay,
Growing the more, the more they waste away;
In their own ruins they extended lie,
With thirst and heat amidst a deluge fry.

BLACKMORE.

RANDAL JACOBUS SLACK
RANDAL JACOBUS SLACK
RANDAL JACOBUS SLACK

EDINBURGH
Excubant Murex et Cochlear

VIRO INTEGERRIMO,
THOMÆ TENISON,

DE CASTELLO TENISON,

IN COMITATU ROSCOMMON,

ARMIGERO,

EX SENATORIBUS HIBERNICIS;

PROPTER MULTAS VIRTUTES EXIMIAS,

TUM PUBLICAS CUM PRIVATAS,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

DAT, DICAT, CONSECRATQUE,

RANDAL JACOBUS SLACKE.

DISEASES OF THE MOUTH

THOMAS TENISON,

DE CASTELLO TENISON,

IN COMITATU ROSCOMMON,

IRLANDIAE.

ASSOCIATI

PROPTER MERITAS VIRI TUIS EXIMIAS

THOMAS TENISON COM. BREVITATE

HAS STIPENDIUM PRIMITIUM

DEI DICAT CONSERVARE

PERIBUS SUI SOCI. PROFESSOR MONACH.

RANDAL JACOBUS SLACK

his compositis... non miseri... sed pueris... hunc eximium... adhibentur...

DE ASCITE ABDOMINALI

DISSSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASCITE ABDOMINALI.

Auctore R. J. SLACKE.

OPERIBUS clari nostri Professoris MONRO,
HUNTER, et aliorum illustrium auctorum,
fatis compertum est, omne cavum quod circuitui
non infervit, resorbentibus vasis copiosè suppleri;
sed præcipue, ubicunque liquida effusa nullum al-
lium exitum habent; tales existunt tela cellulosa;
abdominis, capitis, thoracis, et articulorum cavi-

tates. Hæ omnes, halitu tenuissimo, subtilissimo, aquoso irrorantur, qui, nè nimium abundet, et corpus aliquid detrimenti inde capiat, vasis absorbentibus bibulis, quæ osculis patulis in cava ubique hiant, citò resorbetur, atque in ductum thoracicum vehitur. Hinc facilè patebit, quam æquilibrium, vasa exhalantia inter et absorbentia, prosperæ valetudini fit necessarium; si enim plus humoris exhaletur quam absorbentia haurire possint, hydrops parti vel toti corpori incidit; vel si culpa in vasis resorbentibus sit, adeo ut muneribus suis fungi deficient, etsi exhalatio non nimia sit, idem contingit. Ex his plane apparet, hydropem ab æquilibrio, vasa exhalantia inter et resorbentia, amisso oriri.

Si de omnibus hydropis generibus tractarem, opus fortassè ultra legem tenderem; differere igitur tantum de Ascite Abdominali decrevi, qui a CULLENO celeberrimo concinnè et eleganter definitur his verbis: “ Abdominis intumescencia tensa, vix
“ elastica, sed fluctuosa.”

MORBI HISTORIA.

Ascites sæpe morbus idiopathicus, aliquando etiam et symptomaticus est, vel alios morbos, ut intermittentes, icterum, hepatidem, scrofulam, scorbutum, rachidem, et cætera subsequitur. Pedes et crura nonnunquam initio, sæpius per morbi decursum, intumescunt. Tussis sicca et dyspnæa haud raro inchoante morbo, sæpius vero ingravescente, sese ostendunt; his ingens molestia, pervigilium, et suffocationis sensus, ægro decumbente, junguntur. Sitis inexplebilis, per totum morbi decursum, ægrum vexat. Cibi desiderium valdè immittitur. Ægotantem excruciant canalis alimentarii molestissima inflatio, et alia signa quæ vires concoctrices imminutas et depravatas esse testantur. Urina usque ab morbi initio parcius solito excernitur, et potui qui assumitur, pro rata parte minimè respondet; fit crassior, atque fusci coloris, et sedimentum lateritium deponit. Pulsus magis frequens, et debilis, aliquando tardior, quam na-

DE ASCITE ABDOMINALI.

turalis evadit. Cutis per totum morbi decursum arida et dura existit, sudor ægrè elicitur; alvus per totum morbum astricta esse solet, quanquam exempla non desunt, ubi diarrhœa accedit. Progreſſente morbo, tumor abdominis et pondus magis magisque sentiuntur. Tumor cum primum apparet in abdomen aliqua ex parte diffunditur, sed plerumque in regione epigaſtrica se evidentius manifestat: gradatim vero per ventrem univ-
ersum magis æqualis evadit. Distentio autem sensusque ponderis, positura corporis mutata, nonnihil variant; namque pondus in latere, in quod æger decumbit, magis sentitur, dum, in adverso, eodem tempore, distentio aliquantum imminuitur. In omnibus ferè ascitæ exemplis, in hoc morbi gradu, fluctuatio aquæ percepti potest, si medicus manum alteri lateri admoveat, et oppositum leviter feriat: interdum audiri potest; quin etiam eandem observare solet ægrotus, quando corpus cunque in lecto movet. Distentio in superiori abdominis parte sæpe tympanitica est, dum in inferiori fluctuatio percipitur. Ex hoc tempore functiones
naturales

naturales magnopere debilitantur, et vires artuum insigniter imminuuntur. Ad fomnum perquam proclivis est æger, qui tamen brevis est, et eum potius fatigat, quam reficit. Vultus pallore leucophlegmatico obducitur, aut livore obscuratur: corpus, pro auctu tumoris, emacrescit. Rebus vero ita habentibus, progressus morbi modo tardior, modo celerior est: aliquando longum per tempus manet, dum vires vitales admodum imminui atque debilitari videntur. Immanes nonnunquam dolores per regionem hypogastricam lancinantes, una cum febre hectica, miserum cruciant; convulsiones, et haud raro delirium vehemens, superveniunt, mortem optatam prænunciantes. Interdum coma, apoplexia, delirium, amaurosis, vel animi deliquium, dum reliqua meliorem induunt faciem, cita et improvisa ægrum morte rapiunt.

D I A G N O S I S.

Hic morbus a tympanite signis sequentibus facile dignoscitur: in tympanite, fluctuatio vel nulla vel admodum obscura percipienda est; neque pres-

suræ facile cedunt integumenta : abdomen antè rursus magis quam ad latera tumet, minusque ponderis habet tumor quam ex magnitudine sua con- jicere liceret ; abdomen percussum tympani sonum emittit ; nisi busque ad flatum expellendum plerum- que vanis fatigatur tympaniticus æger ; denique in omnibus ferè ascitæ exemplis pedes tumescunt, in tympanite raro si unquam.

Suppressio menstruorum ; nausea, quæ mulieres per primos graviditatis menses solet infestare ; mammæ intumescens ; corporis figura ; motus- que præsertim fœtus, graviditatem ab ascite dis- tinguunt.

Hic morbus ab ascite ficcato nonnunquam dif- ficillimè dignoscitur : non raro tamen eos inter- noscere possumus ex absentia diathesis hydropi- cæ ; ex modo quo morbus apparuerit, et incre- verit ; ex eo, quod sanitas generalis aut nihil aut parum affecta fuerit, ab urina (morbi saltem ini- tio) parum turbata ; et denique ex spatio tem- poris quo morbus duraverit.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES sunt omnia quæ corporis tonum ac vigorem labefactant, atque causarum actionem excitantium faciliorem reddunt.

Hujusmodi sunt

Vita otiosa vel sedentaria. Ut nihil ad corporis sanitatem quam exercitatio modica magis conducit, sic nihil ad vires ejusdem frangendas quam vita otiosa et nimis sedentaria, certius pollet.

Dieta parca, aquosa, vel minus nutriens. Hanc corporis robur vel firmissimi consumere posse, et ratio et experientia fat testantur: a tali enim victu corpus parum nutritum, debile, et exhaustum evadit; ideoque hydropi obnoxium.

Liquorum incbriantium, præcipue spirituum destillatorum, abusus. Hunc inter frequentiores hydropis causas uno ore referunt medici. “ Nimis
“ excitando sæpe nocent; sæpius adhuc et magis
“ infirmando; *generi nervoso* imprimis inimici
“ sunt, et ventriculo, et jecori: unde infirmitas
“ generalis, et dirus et insanabilis hydrops, vel ab
“ hac,

“ hac, vel ab obstructionibus viscerum, quas li-
 “ quores isti gignere solent *.”

*Usus narcoticorum, ut opii, theæ, coffeæ ni-
 mius.* Hujusmodi substantiæ effectus suos noxios
 in ventriculum primo edunt: mihi verisimilè vi-
 detur, substantias narcoticas varias, quæ nunc in
 usu sunt, in causa esse cur hydrops inter hodie-
 nos tantum grassatur.

Ætas provecta. “ Prima ætate, venæ multo
 “ quam arteriæ densiores, firmiores, et validiores
 “ sunt. Hæ vero, propter perpetuam quam pa-
 “ tiuntur pressuram, et vim quoque quam inter
 “ contrahendam exerunt, indies firmiores, du-
 “ riores, et validiores evadunt, donec tandem
 “ vim venarum æquent vel superent. Haud ra-
 “ ro in senibus pars magnæ arteriæ in substan-
 “ tiam corneam, vel demum in verum os conver-
 “ titur. Hinc primâ ætate plus sanguinis pro-
 “ rata parte in arteriis, provecta autem plus in
 “ venis continetur †.”

* Greg. Conspect. Med. Theoret.

† Greg. Conspect. Med. Theoret.

Plethora arteriosa, a partu ad tricesimum quintum annum, maxime valet; postea copia sanguinis redundans, viribus arteriarum auctis, in venas propellitur; hinc sanguini affluentis minus liberum iter est, et ad vasa exhalantia majore copia et velocitate impellitur.

Large exinanitiones, præsertim sanguineæ. Omnem exinanitionem solito majorem, fluidis tam vitæ necessariis corpus privando, hominem adeo debilitare posse, et sic viam patefacere diro hydropi, unicuique fati constat.

Temperamentum phlegmaticum, et solidorum laxitas nimia. Homines tali corporis habitu præditos, sæpius hoc morbo periclitari, confitendum est omnibus. Huic quoque causæ forsitan tribuendum, quod fœminæ, quarum solida, quam virorum haud parum laxiora et debiliora existunt, hydrope magis infestentur.

Morbi antecedentes. Hydropem ab aliis præeuntibus morbis aliquando nasci, neminem qui in re medica versatur potest latere; quia corpus debile relinquunt, et necessario hydropi obnoxium.

“ Frequent relapses (inquit cl. Pringle) brought
 “ on visceral obstructions, which made the inter-
 “ mittents more obstinate and irregular, and to
 “ terminate in a dropsy or jaundice*.”

Pro causa hydropem excitante jure agnoscimus quicquid vel exhalationem augeat, vel absorptionem minuat. Inter causas exhalantia afficientes præcipue numerantur sequentes.—Si ullo modo regressus sanguinis ad dextrum cordis ventriculum per venas prohibeatur, ut majore vi per arterias impellatur in exhalantes, necesse est, hinc exhalatio adaugeatur, et nisi lymphatica humorem superfluum resorbeant, dirus supervenit hydrops.

Aliquid cursum sanguinis venosi afficiens libero ejus reditui obstare queat: hujusmodi sunt, quædam conditiones cordis ipsius, quæ sanguinis quantitatem solitam a vena cava accipere vetant; hinc polypi dextri cordis ventriculi, valvularum ejus ossificatio, et graves veteresque pulmonum

* *Vide Diseases of the Army.*

obstructiones, hydropem haud raro inducere inventa sunt.

Sanguinis motum in venis singularibus interruptum hydropi creando sufficere, docet obstructio hepatis, vasa enim hujus visceris impervia facta sanguini per venam portarum, et ramos ferè innumeros, delato, transitum negant: hydrops quoque ab hepate, quamlibet ob causam mole aucto, et venam cavam ita premente, ut motum sanguinis venosi ad dextram auriculam cordis in transitu ejus intercipiat, provenire potest. Auctores nonnulli inter hydropis causas, lienis affectus posuere; an vero ab hoc solo unquam originem ducat, nondum satis constat; sed potius credimus, has affectiones rarissimè, si unquam, sine connexis jecoris affectibus reperiri.

Plenitudo venarum universa exhalationi morbidæ non inimica est. Hanc plerumque efficiunt evacuationes, quibus corpus longum per tempus insueverit, suppressæ; ut menstrua, hemorrhoids, et quælibet serosæ; si hæ plenitudinem nimiam moveant, et ea in vena cava præcipue locum habeat,

plus minusve effusionis, reditum sanguinis a vasculis extremis tardiolem reddendo, inducet. Remota se nonnunquam habere, nihil dubito; celeberrimo CULLEN vero consentire malle, hydropem a tali fonte ortum raro admodum, vel potius vix unquam occurrere, et suppressioni ipsæ, magis quam plethoræ ab ea pendentis, esse attribuendam.

Exhalatio etiam a venis singularibus obstructis intendi potest: nam exempla non desunt ubi hydrops a polypo in venæ cavo, vel tumoribus in tunicis formatis, libero sanguinis transitu per eam impedito oriebatur. Tumores quoque qui juxta adeo sunt venas, ut eas comprimant, hydropem creare haud raro reperti sunt; tales sunt scirrhi, steatomata, uterus gravidus, aneurismi, &c.

Impetus sanguinis adauctus originem ascitæ præbere dicitur, vi externa, veluti contusione, sanguinis impetu aucto magna vi intrat vasa exhalantia, quæ stimulo excitata fluidum serosum nimium egerunt: verisimilè tamen est, atoniam partis læsæ vel lymphaticorum rupturam a violentia ortam,

talis effusionis proximam esse causam. Febris etiam, quippe quæ motum sanguinis per totum corpus mirè intendit, hydropi haud parùm favere dicitur.

Relaxatio exhalantium pro frequentissima morbi, de quo nunc agitur, causa jure habetur; docent membra paralytica hydropi sæpissime affecta: præterea hic morbidus exhalantium affectus clarius patet, ex multis exemplis, in quibus debilitas generalis obtinet; in tali enim statu, vasa sanguifera tonum suum amittunt, languescit circulatio, et vasa exhalantia, propter conditionem suam laxam atque debilem, nimium humorem effundunt, dum absorbentia, eandem debilitatem participantia, copiam liquoris solitam et justam imbibere recusant, et sic ad morbum inducendum conferunt.

Quanquam causæ jam dictæ hydropem per se inducere valeant, parte sanguinis serosa etiam non adaucta, facile tamen credas, auctum hujusmodi morbidum hydropi amicissimum esse, præsertim si cum causis nuper allatis concurrat; ita quantitas
aquæ

aquæ infolita, forma potionis in corpus ingesta, hydropem induxisse dicitur.

Aqua ex atmosphœra ambiente absorpta copiam humorum in corpore augere potest, quod facilius accidet, si habitus relaxatus sit, et circulatio languet: frigus cum madore corpori debilitato admotum, perspirationem imminuit, vel ex toto obstruit: ratio tunc in aprico erit cur homines, qui regiones frigidas humidasque habitant, hydrophi præ cæteris obnoxii sunt. Eximius Dr MONRO his verbis utitur: “ The people in Holland, and other
“ fenny countries, are more subject to dropsies,
“ than those who live in a more pure and dry
“ air*.”

Cum humores, qui solent excerni, ullo modo in corpore retineantur, partes sanguinis aquosæ nimius abundabunt; hinc dicitur secretionem urinæ impeditam originem hydrophi dare, sed mihi pabulum tantum illi suppeditare apparet; nam

* *Vide* Dr MONRO on Dropsies.

hæc diminutio sæpius effectus quam causa, faltem ascitæ, evadit.

Exinanitiones immodicas tonum corporis frangere, sicque, inter alia innumera mala, diro hydropi viam sternere, omnibus, qui in re medica versantur, notum est.

Digestionis et assimilationis vitia hic locum sibi vindicant; vitia ventriculorum, vel alia organa quæ alimentorum concoctioni inserviunt, afficientia, inter causas hydropis jure recensentur.

Vix dubitari potest, quin ruptura lymphaticorum morbo aliquando originem dederit; præterea, a compressione ductus thoracici provenisse dicitur.

De absorptione imminuta, ut hydropis causa, restat ut pauca differamus. Vasa resorbentia attractione capillari fluida quidem imbibire possunt, sed vis eorum muscularis requiritur ad fluidorum motum continuandum. Hinc patet paralyseos potestas in creando hydrope insignis; in paralyfi eadem causa, quæ exhalantibus tonum aufert, et effusionem adauget, inhalantia similiter afficit,

et

et absorptionem aut valdè minuit, aut planè sistit. Idem efficere dicuntur lymphaticorum, aut faltem glandularum conglobatarum obstructiones: sed hanc opinionem debilitat libera et amica lymphaticorum inter se communicatio; insuper glandulæ lymphaticæ iterum iterumque obstructæ, tumefactæ, ac induratæ, repertæ fuerunt, nullis comitantibus hydropis signis.

Si phenomena morbi accuratè perpendamus, bene perspicuum erit, CAUSAM PROXIMAM exhalationem adauctam, vel absorptionem imminutam, vel utramque simul conjunctam, existere.

NONNULLORUM RATIO SIGNORUM.

OEdema artuum inferiorum.—Hoc, morbo recente, a debilitate omnium vasorum, ortum ducere videtur; cum vero sub morbum extremum accedit, a venæ cavæ inferioris, venæve illiacæ compressionem pendet.

Dyspnœa, tussis.—Dyspnœa, quæ aliquando sub morbi initium apparet, a debilitate totius corporis,

ris,

ris, vel muscutorum et organorum quæ respiratio-
ni subserviunt, oriri potest ; gradibus vero morbi
provehentioribus, a quantitate aquæ in abdomine con-
gestæ plerumque proficiscitur, quæ, diaphragma
sursum trudendo, cavum thoracis imminuit ; ita san-
guis, præter consuetudinem, in pulmonibus accu-
mulatur, vesiculæ aëreæ aliqua ex parte compri-
muntur, et respiratio molestissima, et difficillima
evadit.

Tussis irritatione, a causis jam memoratis in-
ducta, oriri videtur.

*Cutis arida, urina parca, sitis adaucta, al-
vus adstricta.* Hæc signa inter se causas commu-
nes habent, cursum puta humorum tenuiorum ab-
dominis cavum versus, unde secretiones aquosæ
in reliquis partibus diminuuntur.

Pulsus varius. Initio morbi, cum irritatio non
est magna, pulsus regularis, tametsi debilis, existit ;
at morbo provehentiore, irritatione, doloribus, aliis-
que causis auctis, pulsus et frequentior fit, et ma-
gis inæqualiter micat.

Appetitus imminutus. Tonus ventriculi adeo
necessarius est ad conservandum appetitum, ut ni-

hil mirum fit, in ascite, ubi debilitas totum corpus pervadit, appetitum male se habere; sed verisimile est, vim aquæ relaxantem in ventriculum ipsum agere, et sic debilitatem inducere.

Faciei totiusque corporis pallor—a prava assimilatione concoctioneque, et a debilitate generali, pendet.

Febris Hæctica—a doloribus continuis, et ab fluidis acribus, quæ humores circumfluos ingressa, corpus totum magnopere irritant, originem ducit.

Dolores excruciantes—immodicæ abdominis distentioni, necnon viscerum inflammationi, ascribuntur.

Prognosis valde infausta est, et cautissimè proferenda: quippe cum ascites sit morbus, cujus symptomata adeo fallacia existunt, ut multi, qui jam convalescere visi sint, morbo subito rapiuntur. At tamen, si symptomata haud multum insistent; si non frangantur vires; si nulla adsit obstructio; si aquæ congestio adhuc parva sit; si respiratio illæsa maneat; si absit tussis; si fitis non urgeat importuna;

portuna ; denique, si æger junior sit ; tum fausta augurari licebit.

Contra, si æger sit debilis ; si appareant obstructionis signa ; si tussis, dyspnœa, sitis, et febris malè urgeant ; si æger sit provectiore ætate ; si in abdomine magna vis aquæ, acris, et putridæ accumulatur ; si remedia quæ bonos effectus edere solent incassum jam adhibita fuerint, morbus insanabilis enumerandus est : dolores excruciantes, cœma, delirium, vel convulsiones graves, mortem ferè semper portendunt.

METHODUS MEDENDI

Tria complectitur consilia ; quorum primum est causas remotas, si etiamnum adsint, tollere ; secundum, humorem serosum jam collectum evacuare ; tertium, vim corporis restituere.

Quantum ad consilium primum attinet, ab omnibus hydropis causis remotis sedulò abstinenceatur : aliquando vero infelicitèr accidit, quod ascites ab hepatis obstructione originem habet ; hydrargyrus

hic optimum remedium est; in plerisque exemplis id, cum remediis evacuantibus, adhibere possumus, utpote quod actioni eorum non solum non adversatur, sed etiam insignitè favet.

Ad consilium secundum efficiendum multa remedia in usu sunt, de quorum præcipuis in ordine differere volo.

Paracentesis. De hujus commodo inter medicos multum certatum est; dum alii certum ferè esse remedium, alii contra mortem properare opinantur. Corpus debile, et obstructions viscerum, eam vetant. Post paracentesin periculum non abest; nam omni ferè symptomate sublevato, sine ulla evidente causa, sæpe pereunt ægri. Periculum oriri videtur, aut aëre per puncturam intrante, (quem experimentis eximii Professoris MONRO fatis compertum est, in nullam cavitatem clausam sine pessimis sequelis admitti posse,) aut ex relaxatione subita partium continentium aquæ tensione sublata; hinc multa mala ex paracentesi orientia, compressione fatis firma sublevantur. Si querantur medici paracentesin nunquam votis respondere, effectus ejus infauustus
 operationi

operationi nimis sero factæ fortasse tribuendus est. Eruditus Professor nuper citatus. in prælectionibus suis, quam primum fluctuationis signa aderant, puncturam jubet. Paracentesis organis vitalibus amica est: facilitando circulationem in vasis abdominalibus, occasionem præbet, varia, quæ permanentem hydropis curam efficere promittant, remedia faustè administrandi.

Emetica. Hæc motum sanguinis per abdomen promovent, viscera ejus stimulant, varias secretiones et excretiones intendunt, et actionem resorbentium excitant; plura exempla sunt, ubi vomitio spontanea ascitem omnino sustulit, sine ullius medicamenti auxilio. Valentiora sunt præparata ex antimonio. Zincum vitriolatum, cuprum vitriolatum, turpethum minerale, &c. sunt remedia gravia, quæ non nisi cautissimè exhibias. Emetica mitiora, ut ipecacoanha, scilla, nonnunquam cum fructu administrata fuerunt. Cathartica varia in usu sunt, viz.

Drastica: horum præcipua, elaterium, gambogia, scammonium, helleborus, jalapa, diversa

ex hydrargyro præparata, vel sola, vel aliis purgantibus adjuncta; si aquam evacuent, plurimum profunt: si vero hoc non præstent, in usu eorum minimè perstandum est. SYDENHAMUS sagax, ab usu eorum per quam debiles, et mulièrès, quæ in hysteriam proclives sunt, religiose abstinere jubet.

Mitiora: hujusmodi sunt cassia, manna, pruna, tamarindorum fructus, et similia. Hæc vero omnia nihil aliud ferè quam fæces evacuant, et igitur in casibus hydropicis parum profunt. Tartarus purificatus in hoc morbo nuper laudes acquisivit maximas; accuratissimus Professor HOME eo optimo successu usus est: de hoc vero medicamento sub classe sequenti fufius differere statui.

Diuretica: Renes, ad transmittendas hydropticorum aquas, inter emunctoria, primum merito sibi locum vindicant. Ad ea, potissimum morbo provectiore, confugerunt medici. Hoc commodum sibi proprium habent, quod ægròtum multo minus, quam quælibet alia medicamenta quæ sumi possunt, debilitant, et per spatium temporis longius, sine ulla intermissione, adhiberi possunt. Ju-

re igitur dolemus effectus eorum tam ambiguos esse, ut nemo medicorum polliceri possit, se ægro cuiquam per ulla medicamenta urinam esse moturum: igitur, si unum incassum fuerit adhibitum, ad aliud decurratur. Diuretica in diluentia, salina, et acria dividuntur.

Diluentia cum utilitate administrata fuerunt hydropicis. Sub diluentium nomina veniunt omnia quæ partem sanguinis serosam adaugent, aqua pura imprimis, et omnis ferè potus, quamvis mitissimus. Ad urinam vero ciendam multo efficaciores existunt potus, qui aliquid acrimoniæ in se habent; quales sunt cerevisia tenuis et acris, vina austera, aqua cardiaca, (Anglis punch dicta), et similia.

Diuretica Salina sunt, tartarus purificatus, et sales alkalini.

Tartarus purificatus, qui e sale medio et acido constat, jure recensetur inter medicamenta diuretica. Præclarus Professor HOME virtutes hujus salis plurima aqua soluti multis experimentis comprobavit; et nuper eruditus Professor GREGORY, in

Nofocomio nostro Edinenfi, tartarum purificatum feliciffimè adminiftravit *.

Sales alkalini magna quantitate affumpti vires diureticas oftendunt; fed in dofibus minoribus exhibiti haud multum profunt. Si diu in ufu eorum perftetur, fermentationem fepticam, febrem, fitim, et multa alia figna magnopere augere dicuntur.

Diuretica acria funt, fcilla, allium, cantharides, digitalis, nicotiana.

Scilla remedium eft præftantiffimum, et, ut alii volunt, omnium totius diureticorum longè certiffimum. Hujus remedii vires haud parum au-

* Exemplum infigne fequens quanta vi diuretica hoc pollet remedium, hyeme proximè elapfo, in Nofocomio Edinenfi mihi contigit videre. Vetula quædam hydropi pertinaci laborans, dum variis medicamentis incaffum tentatis perparce urinam reddere perftabat, tandem, fuadente GREGORY, *tartarum purificatum*, electuarii forma, affumere cœpit, quorum ope, tribus folummodo diebus interpoftis, quatuor et viginti horarum fpatio, libras urinæ duodecim, et in fequenti die novem peroptatò reddidit.

geri, si simul adhibeatur hydrargyrus, opinatur GREGORY noster, multisque, in quibus feliciter usurpatus fuit, exemplis opinionem hanc satis confirmavit. Hæc medicamenta separatim tutius exhibentur, scilla nempe mane, hora somni hydrargyrus: vel hydrargyro ptyalysimum usque ad lenem prius assumpto, scilla postea cum maximo fructu datur.

Allium. Nucleos hujus oleo imbutos, integros devorare oportet; multis in exemplis secretionem urinæ excitasse dicuntur.

Cantharides inter remedia diuretica recensitæ fuerunt, et medici, quodam falso principio decepti, ad earum usum decurrerunt, etenim vesicam urinariam potius quam renes stimulare videntur, et administratio earum non frequenter gravi incommodo, vel etiam periculo vacat.

Digitalis purpurea. Haud desunt exempla in quibus feliciter usurpatum est hocce remedium; minimè vero negandum est, quin ipsum, æque ac alia hujusce classis medicamenta, sæpe spem fefellerit: effectus dirè ab usu ejus intempestivo, vel te-

merario provenisse dicuntur; parva etiam quantitate nauseam et vomitum sæpe ciet, sed a quantitate nimia devorata, visus depravatio, vertigo, capitis dolor, vomitio gravis, hypercatharsis, et etiam mors ipsa; haud semel acciderunt. Cautè igitur adhibendum est remedium tam anceps et periculosum. Pulsuum arteriarum vis et frequentia, semper ferè ab ejus usu imminuuntur: hoc semper in memoria tenendum est, a dosibus parvis incipiendum esse, quæ gradatim, pro effectibus in ægrum editis, augere decebit.

Nicotiana iisdem premitur difficultatibus ac digitalis, igitur eadem monita, quæ supra de usu digitalis protuli, hic quoque attentionem merentur.

Sudorifica. Hæc utilissima sunt, si hydrops a perspiratione impedita oriatur. Plus in anasarca quam ascite, prodesse feruntur: eorum vero utilitatis multa sunt exempla. Inter medicamenta autem quæ hac facultate pollent, efficacissima sunt antimonii præparata, vel sola, vel opio conjuncta, et pulvis ipecacoanhæ compositus. Hydrargyrus aliis hujus classis remediis adjunctus in provocan-

do sudore magnopere valet. Hoc melius fiet, si hydrargyrus per aliquot dies prius datus fuerit, ut corpus probè pervadat, et os nonnihil afficiat. Sed usui diaphoreticorum objici potest, cutem post operationem eorum peractam, frigori magis sensibilem esse factam, et eorum sæpe usum sequi debilitatem.

Sialagoga. Hydrargyrus inter sialagoga princeps est, et cautè adhibitus multum promittit, præsertim, ubi morbus a visceris obstructione, hepatis, exempli gratia, scirrho, originem trahit. Nos-
ter GREGORY de ægroto mentionem facit, qui hepatis scirrho et ascite laborans, hydrargyrum muriatum mitem cum jalapa sumebat, frustra quidem quod ad alvum, sed salivatio superveniens, et scirrhum depulit atque hydropem.

Ubi magna debilitas corporis apparet, remedia tonica, de quibus postea agere statui, aut sola, aut aliis remediis conjuncta, optimè jam, etiam ab initio, administrantur.

Nunc ad tertium pervenimus consilium, amissum nempe corporis vigorem restituere. Remedia quæ

huc pertinent, sunt, diæta imprimis roborans, exercitatio, medicamenta tonica, fricationes, et lavatio frigida.

Diæta. Cibus concoctu facilis, nutriens, et aliquatenus cardiacus, ægro præbeatur, (carnem asiam præferendam esse dicunt), panis benè fermentatus; vini generosioris modica quantitas, aut spiritus distillatus aqua probè dilutus; liquor modo laudatus (gin-punch), ut vi diuretica simul ac cardiaca gaudens, haud inepte laudatur.

Medicamenta Tonica—velut chalybs, cortex cinchonæ, amara varia, vel sola, vel aromaticis conjuncta, toti corpori, sed præcipue ventriculo, vigorem restituant.

Exercitatio sub Jove pleno, puro, et sicco, præstantissimum remedium præbet; partes solidas firmat densatque, secretiones atque excretiones expedit; bonum appetitum conciliat; alimentorum concoctionem efficit; et corpori vigorem et animo hilaritatem denique impertit. Quod vero ad ejus modum attinet, is qui ægrotanti gratissimus est, et

viribus

viribus ejus aptissimus, optimè convenit; at exercitatio immodica sedulo vitanda est.

Fricção simili qua exercitatio virtute quodammodo pollet, et præcipue, cum huic locus esse nequeat, ad illam confugiendum est; motum sanguinis per venas promovet, actionemque resorbentium excitat.

Lavatio frigida minimè est usurpanda, donec æger vires pristinas, partim saltem, recuperaverit. Cum res ita sit, ad sanitatem restituendam nihil magis pollet, nisi vetet affectio topica.

F I N I S.

